

**De morbo quodam maculoso quem melanosin recentiores appellant :
dissertatio inauguralis medica ... / publice defensurus est Martinus Schier.**

Contributors

Schier, Martin.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Academicis, 1826.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jvf7rcw4>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





3.
DE
MORBO QUODAM MACULOSO
QUEM
MELANOSIN RECENTIORES
APPELLANT.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ATQUE AUCTORITATE
GRATIOSI ORDINIS MEDICORUM IN UNIVERSITATE
LITERARUM BEROLINENSI
AD
SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XIV. M. AUGUSTI A. MDCCCXXVI.
PUBLICE DEFENSURUS EST
MARTINUS SCHIER
CASSELLANUS.

OPPONENTIBUS:

E. GABLER, Med. et Chir. Dd.
M. GEISLER, Med. et Chir. Dd.
C. A. HILDEBRAND, Med. et Chir. Dr.

BEROLINI.
TYPIS ACADEMICIS.

MDCCCXXVI.

VIRO ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO,
EXPERIENTISSIMO

G. H. DIEFFENBACH,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO EXERCITUS HASSIACI

SUPREMO, ORDINIS ELECTORALIS LEONIS AUREI EQUITI

ETC. ETC.

HAS LITERARUM PRIMITIAS

SUMMA CUM DEVOTIONE

D. D. D.

AUCTOR.

AEQUO LECTORI.

S.

Cum nuperrime mihi contigerit, ut in schola clinica Graefiana illius teterrimi cancri exemplum viderem, quem medici Galli *Cancer melané* dicere consueverunt, et multa de hac re praeceptor illustrissimus acute disputaret, ego ad reficiendam memoriam praestantissimorum auctorum scripta evolvi, quibus percensitis intellexi, quanta sit de rei natura inter auctores dissensio, quot vitiis eorum systemata, quantumvis elaboratissima, laborent, et quam vana sit omnis opera, si non rebus in facto positis, sed opinatis nitatur.

Quod autem in hac cancri differentia contingit, ut quadam nigritie commaculetur, id etiam sponte interdum cutim supervenire dicunt, atque novum morbi genus, *Melanosin*, ex eo constituunt, a nemine hactenus cognitum (¹). Quae cum ita sint, veteres consului, ut, si quid utilitatis ex eorum lectione obtineri ad rem illustrandam queat, hic conferam. Cum vero omnem propemodum curiosam affectionis illius histo-

(¹) Harles *Handbuch der ärztlichen Klinik* 3. Bd. 1826.

riam omiserunt recentiores, unde novum et peculiare morbi genus cognosci possit, ego illam quorundam morborum ἐπιγεγόμενον potius aestimandam censui. Huius rei veritatem multis locis praesertim Hippocrates testatus est ⁽¹⁾, de quibus omnibus paulo inferius.

At enim vero, si verum sine ambitione fatendum est, infitiri non possum, eos plerumque in errores incidere, qui omnem morborum cognitionem ab iis, quae chemia docet, repetere studeant; aut ad vim vitalem solam confugere malint, quam non bene ordinateque operantem statuerunt. Facile tum contra naturae institutum morbos summopere discrepantes una eademque classe comprehendunt et vi quadam compellunt; dum alios, natura affines, systematis causa ineptissime disponunt, aut eorum symptomata pro ipso morbo habent. — Haec habebam, quae benevolos lectores admonere volui; uberrimum fructum me tulisse arbitrabor, si huius rei disquisitione peritiores animo commoveantur, ut minus exercitatis medicis rem diligentius exponant.

⁽¹⁾ Praecipue in praedictorum Lib. II, Sect. II, p. 77. edit. Foesii Francofurti 1596.

PRAEMISSA VOCABULI MELANOSIS AESTIMATIONE

SEQUITUR

IN ANTIQUITATES HUIUS REI BREVIS
ANIMADVERSIO.

§. 1.

Constantiores naturae sunt, quam humani arbitrii leges, hinc morbos non ita in corpore humano, uti res in civitate innovari censuit Athenodorus apud Plutarchum ⁽¹⁾. Qui igitur in morbis inter se comparandis normam quandam atque regulam invenire student, id cavere oportet, ne novis vocabulis mentem humanam magis perturbent, quam illustrent. Inaudito vocabulo, *Melanosi*, id in Gallia medici magni nominis facere videntur. Eo enim denominationis genere, novum quendam et plane incognitum morbum notare voluerunt, ubi in variis corporis sedibus externis humor obscuri coloris congeritur. Nullibi legeris hoc nomen apud veteres, non quin affectionem illam cognoverint,

(1) V. Symp. Qu. 9.

sed quod diversorum morborum symptoma aestimaverint. Hinc ad rem designandam ab iis μελασμα (nigrities) excogitatum est, quod ab aliqua re, sive externa sive interna effectum putabant. Nam verbum μελανόω commutatur in substantivum, si syllabae νω flectuntur in μα, quod significat verbi effectum, propter α purum autem interponitur σ. Sin autem substantivum quoddam terminatur in σις, verbi actionem indicat, e. g. μιμέω imitor; μίμησις imitatio; μίμημα res quam quis imitatus est. Ita etiam πράσσω, unde πράξις actio, et πράγμα factum ⁽¹⁾. Unde autem Galli derivent Melanosin, nescio, fortasse a futuro μελανώσω, utrum id linguae genio congruum sit, penes alios doctiores iudicium esto. Latinis igitur denigratio est, quod Graecis μελασμα denotat.

§. 2.

Cutis, ulcerum, tumorum sordiumve denigrationibus hoc vocabulum ab Hippocrate aliisque scriptoribus inditum esse legimus. Huiusmodi aliae a vi quadam externa contrahuntur; e. g. a frigore cutis denigrationes commemorat Hippocrates in aphorismis ⁽²⁾. Quae vero ab aliqua causa interna oriuntur et morborum comites sunt, variis locis ab eodem auctore tra-

(1) Thiersch *griechische Grammatik* S. 161.

(2) Sect. V. §. 17. et 20.

duntur. Sunt et *μελάσματα* nigrores, et quae nigricant, aut partes corporis ex sanguine effuso nigrefactae (1). Idem etiam scripsit de aliquo nigro tumore in pudendis (2). Omnibus his posthabitis, de eo nigrore dicere adgredior, quem in tumoribus aut maculis esse Hippocrates dixit, aut quem ex vulneribus ulceribusque emergere adnotavit. Praestantissimus omnium locus, qui ex parte ad rem nostram pertinere videtur, in libro secundo praedictionum est, quem his verbis complectitur: „Quod aetates attinet, tubercula quidem suppurantur, atque eadem strumosa magna ex parte pueros exercent, facileque ex his levantur. At iisdem, ubi paulum aetate processerint atque adoleverint, nascuntur quidem minus ac difficilius tolluntur. Viris autem id genus tubercula non admodum fiunt, verum favi formidabiles et cancri abditi, demersi, et ex pustulis noctu inquietantibus, quas *ἐπινοκτίδας* vocant, ulcera serpentina, quae herpetes nominant,” etc. Senibus vero ex huiusmodi tuberculis nullum accidit, at cancri latentes, quique summa corporis infestant, fiunt, et ad mortem comitantur (3).

(1) Liber de fracturis.

(2) Liber de liquidorum usu.

(3) Praedictionum Lib. II. Sect. II. p. 77. edit. Foesii. 1595.

§. 3.

Ad hunc locum Hippocratis illustrandum, in memoriam revoces necesse est, esse aliquam cachexiae differentiam, quam veteres ita putabant, ut ex pravi succi cibus, male digestis et cruda adhuc rudique qualitate, in ipsum sanguinem delatis, generentur multi humores vitiosi, putridi, acres, qui deinde per intolerabilem pruritus, praesertim per noctem sub varia exanthematum, papularum et pustularum forma prorumpant. Inde ergo scite Celsus ⁽¹⁾ scripsit: „cachexiae illud quoque accidere solet, ut per assiduas pustulas, aut ulcera, summa cutis exasperetur. Huiusmodi cutis aspritudines idem auctor latinus etiam epinyctidas vocat, quae vel sublividae, vel albae esse solent (uti in ipsa melanosi tumor interdum cernitur) ⁽²⁾, circa pustulam autem vehementis inflammatio est; et cum aperta est, reperitur intus exulceratio mucosa colore humori suo similis ⁽³⁾. Dolor ex ea supra magnitudinem eius est; neque enim ea faba maior est. Atque haec quoque oritur in eminentibus partibus et fere noctu, unde nomen quoque a Grae-

⁽¹⁾ De re medica Lib. II. cap. 22.

⁽²⁾ Breschet in *Harless rheinischen Jahrbüchern für Medicin und Chirurgie*, 5r Bd. 1s St.

⁽³⁾ Breschet *ibid.*

cis ei ἐπινοκτίς est impositum ⁽¹⁾, aut quod noctu quam interdiu gravius infestet ⁽²⁾.

§. 4.

Nascuntur etiam maculae nigricantes, scripsit Ann. Carl. Lorry ⁽³⁾, sed superficialia, ab aliis et forma et primo ad aspectu distinguenda, cum extra cutim promineant, hae melancholicae sunt et dicuntur. Paulo inferius pergit: huiusmodi maculas diuturniores videre est, imo et per longum tempus perdurantes in senibus, quamvis illae nunquam gangraenicae evadunt, sed potius formam assumunt tumoris illius nigricantis, qui apud auctores nomine talpae insignitur.

§. 5.

Sunt praeter has multae aliae cutis affectiones, quae aliquem nigrorem prae se ferunt et Graecis reliquisque veteribus bene cognitae fuerunt. Nihil dicam de maculis, quas *πηλιωματα* vocant, nihil de vitelligine et reliquis, his omnibus aliqua similitudo cum melanosi esse videtur.

(1) Celsus Lib. V. cap. 28.

(2) Paulus Lib. IV. cap. 9. et Aetius Lib. XVI. cap. 61.

(3) De morbis cutaneis p. 90.

MATERIAE NIGRICANTIS

DESCRIPTIO EX RECENTIORUM OBSERVATIONIBUS
TRADITA.

§. 6.

Est quaedam materia sub summa cute sparsim collecta, aut in quorundam viscerum recessibus coacervata; cuius color e flavo per varios gradus nigrescit, imo in atrum mutatur; quo fit, ut non solum partem affectam foedis maculis deturpet, sed etiam eius copia cutim plus minusve attollat, turpitudinisque multiplicem formam exhibeat.

Perscissa parte affecta, si adepta fuerit tumoris naturam, ad instar seipiae piscis effunditur humor ater ⁽¹⁾, cuius nigrities interdum tanta est, ut linteum chartamque veluti Sinensium atramento inficiat. Huiusmodi materia plerumque aqua spissior est, nec absimilis tenacitati humoris, quem glandulae ferunt, aut cum puris pultisque spissitudine comparari potest, aut prorsus concreta est. Haec si cultro anatomico investigatur, lamellarum compage constare videtur ⁽²⁾. Quo fluidior est congestus iste humor, sive massa nigricans, eo facilius transgredi solet

(1) Gohier apud Breschet l. c.

(2) Breschet l. c.

in vicina cava, et quidquid fluidi in iis continetur, non solum obscurat, sed etiam partem ipsam, si delicatioris structurae est, quadam nigritie commaculat. Quandoque igitur canerosae partes, hepar, intestina, stomachus, uterus, serosus humor peritonei et alia eiusmodi pigmento obfuscantur. Iisdem vitiis nec ossa nec cartilagine laborare, ab omnibus observatum est; rarius etiam in ipso cerebro et medulla spinali materia ista reperitur, sicuti gangliis nervisque familiaris non esse videtur.

§. 7.

Si morbus in exteriori corporis cutisque facie cernitur, maculae aut tumores modo exigui, modo ampliores et voluminosi sunt, nec una macula, aut tumor excitatus, sed ubique plures simul prodeunt. Tumores, quamvis similem partibus vitae praeditis fabricam habere videantur, carent tamen vasis nervisque, nec veram telae structuram ostendunt; plerumque nigro, interdum fusco, aut alio id genus obscuro colore praediti, minoribus glandulis similes, aut lenticulati, aut racemorum instar cutim attollunt, parva habent exordia et ovi columbini magnitudinem aliquoties assequuntur, interdum ultra increscunt, quod in animalibus consuetudo est. Alii propria tenuique tunica in-

cluduntur; alii lamellarum compage, sine propria tunica constant. Si tumoris naturam adeptus est materia, non raro in ipsis musculis sedem habet, aut circa sanguifera vasa exoritur, aut iis intus adhaeret. Breschet, medicus Gallus, quibusdam animalibus familiarissimum esse morbum adnotavit, cuius observationum fidem multi alii testantur ⁽¹⁾.

§. 8.

Praeter tumores, in quibus massa nigra continetur, frequentius maculae aut vibices apparent, leviter prominentes, cum ecchymosi scorbutica, aut maculis confluentibus, uti eae in morbo haemorrhagico Werlhofii cernuntur, comparandae. Exsecta macula remanet foveola, ac si glandulas removeris ⁽²⁾. Vitiatus iste partis affectae humor omnis odoris omnisque fere saporis expers est, et si eo manus aut alias res inquinaveris, facile ablui potest; difficilius in putredinem abit, sive sit cum aqua commixtus sive aëri submissus; denique cum spiritu vini aut aqua commisceri facile potest. Cutis partium adiacentium foedo colore pallescit, aut fusca redditur, aut si malum diutius perseveret, etiam nigrescit; fieri quoque potest, ut ad interiora viscera malum deferatur.

⁽¹⁾ Apud Harless l. c.

⁽²⁾ Harless *Handbuch* l. c.

ANATOMICA INVESTIGATIO MELANOSIS.

§. 9.

Breschet et alii, qui huiusmodi partes affectas cultro anatomico investigarunt, testantur, melanosin esse massam quodammodo degeneratam, in qua neque vasa et nervi, neque tela cellulosa et fibrae reperiantur, et, quod iam supra commemoratum est, involucrum illud, quo interdum melanosis circumdatur, tunicae speciem tantum prae se ferre et telae cellulas materia nigra repletas esse. Cum vero ista materia vario modo accumulatur, a Savenco medico Petropolitano ⁽¹⁾ aliquae differentiae melanosis ex observationibus recentiorum collectae statuuntur, cuius verba haec sunt:

Melanosis est morbosum pseudo-productum, constans massa homogenea, opaca, coloris obscuri, organismo animali plane heterogenea atque sequentibus sub formis nobis sese offert.

I. Sub forma massae solidae rotundae.

a) Sacco vel cystide (fortasse cysta) propria inclusae.

b) vel vero involucro proprio carentis, organo quasi impressae, figurae plerumque irregularis.

⁽¹⁾ Tentamen pathologico-anatomicum de Melanosi. Petropoli 1825.

II. Sub forma materiae fluidae, varias partes penetrantis atque liquida (morbose) cavitatum, quibus continetur, colorantis.

III. Melanosis aliquando lamellarum vel stratorum tenuium adinstar, tegit partes internas, plerumque membranas serosas.

IV. Melanosis fit complicata cum aliis morbo-
sis productis, v. g. scirrho, cancro, fungo
haematode maligno, sarcomate medullari,
tumoribus cysticis etc. In hoc casu subit
varias mutationes quoad formam et sub-
stantiam ⁽¹⁾. Hic habes, L. B., quae ad-
spectus commonstrat et fidelis prosectorum
investigatio docet; etsi novorum nominum
barbarie et scribendi ratione, quibus in hac
enarratione utitur auctor, valde abhorruui.
Adiungam quae

ANALYSIS CHEMICA DOCUIT.

§. 10.

Breviter tantum adnotare hic volui, quae
Barruel apud Breschet ⁽²⁾ de natura mate-
riae nigrae nos docuit. Inest huic materiae pars

⁽¹⁾ Huiusmodi differentiam Laennec nominavit *degenerations composées*; conf. de l'auscultation mediate, et sur les melanoses, Bulletin de la Société de med. 1806.

⁽²⁾ L. c.

quaedam albumini ovi similis, quam coquendo ex aqua per pigmentum atrum colata elicuit. Aliquot linearum magnitudine crystalli post paucos dies oriebantur ex calce sulphurica, quam residuum pigmenti dilutum demiserat. Spiritus vini, quem Alcohol dicunt, massam nigram non dissolvebat, seposita tamen eiusmodi mixtura in locum quietum, natabant post aliquod tempus in limpidine mixturae splendentes crystallorum particulae, quae, si igni iniiciebantur, adipis deflagrantis odorem spargebant. Addito kali caustico tota massa in aqua solvi poterat. Calcem phosphoricam et ferrum phosphoricum quoque ex massa nigra eliciebat. Acidum aceticum modice concentratum ita agebat in exsectam melanosin, ut tota haec in fibrosam substantiam degeneraret.

ADNOTATIONES NONNULLAE

IN

MELANOSIS HISTORIAM.

§. 11.

Qui morbum aliquem cognoscere atque eius veram naturam sciscitari cupiunt, iis necesse est, ut accuratam descriptionem eorum omnium habeant, quae vel proxime morbum antecedunt, a sana corporis conditione iamiam aliena; quae co-

mitantur et certam definitamque aegritudinem sistunt; denique quae malo ad finem vergenti propria cernuntur. Si haec tecum consideras, pauca eorum sunt, quae in exponenda melanosis historia apud eos invenies, qui huiusmodi morbum de industria illustrarunt; ne consensio quidem inter auctores est in iis rebus, quae sensibus patent, aut cultro anatomico investigari possunt. E.g. Laennec ⁽¹⁾ adnotavit: „Les mélanoses produisent tous les effets locaux et généraux des autres cancers lorsqu'elles sont développées en certain nombre dans nos organes et on les trouve souvent reunies à une ou plusieurs espèces de productions morbifiques dans les tumeurs cancéreuses composées.” Eius sententiam refutare studet Walther ⁽²⁾ „*Im Augapfel ist diese (bei dem weichen Krebs oder Blutschwamm desselben) gewöhnlich in äusserst grosser Menge vorkommende, dem aufgelösten und zersetzten Pigmente ähnliche schwarze und schmierige Masse in der vergrösserten hintern Augenkammer enthalten; die Melanose ist hier offenbar nur ein accessorisches zu der Entartung der festen Theile hinzugekommenes Phänomen.*” Harles ⁽³⁾ structuram partibus vita

(1) De l'auscultation médiate T. I. p. 295.

(2) Graefe und Walthers Journ. etc. Bd. V. S. 567.

(3) Handbuch der Klinik l. c.

praeditis similem in illis tumoribus nigris statuit, inde nomen melanosis pseudoplastica, saccata etc., qualem structuram alii prosectores negant.

§. 12.

Cum verò id solum rectius intelligatur, quod quasi a suis incunabulis cognitum habemus; sic etiam clarior morborum intelligentia evadet, quorum naturam pro aegrotantis constitutione, aetate, sexus et temperamenti ratione, vitaeque genere perspeximus. Nonne mutilam imperfectamque morbi historiam dices, ubi eorum quidpiam deficiat? Si igitur nullibi haec, quae melanosis illustrant, aut hoc illudve eorum et in transcurso quasi adnotatum legeris, nonne tum magno argumento esse debeat, omnes devios esse, qui tunc affectionem pro morbo sui generis habendam esse aestimaverint. Nec diligentiores fuerunt scriptores in observando melanosis decursu, quem brevibus contractisque descriptionibus adumbrarunt. Nunquam enim, aut interdum valde difficile intelliges, utrum morbus ad chronicos, an acutos referendus sit; nunquam aperte mentio facta est, utrum cum febre incipiat, an ea serius accedat, an nulla exoriatur. Alii perite testantur, melanosis modo supervenire quibusdam morbis, alii experientia

edocti contendunt, aliorum morborum formas esse; nec quisque eandem aegritudinis imaginem atque signa sistit, sed omnes in omnibus dissentiunt, aut ea, quae adnotarunt, ad quodcumque morborum genus aliud facile referri possunt. De hac rerum confusione nemo dubitabit, qui morbi decursum ex Savenki ⁽¹⁾ descriptione cognovit. Is enim scripsit: „cum incremento et multiplicatione tumorum color cutis mutatur in pallido-bruneum, et, a subsequente oedemate, pars affecta ingratum oculis offert aspectum; physiognomia aegrotantis perfecte alienatur, exprimitque maximam anxietatem et excruciationem. Moesti, semiconnivescentes oculi, frons corrugata, nasus acuminatus; semiapertum tristissimosque edens gemitus os, sistunt miseram effigiem succumbentis. Pulsus initio aliquando fortis, plenus et frequens, aliquando autem oppositae est indolis; in genere tamen in decursu morbi varias subito mutationes, versus finem morbi, labentibus aegri viribus, debilior redditur, et tandem silet (?). Siccitas oris molestissima, sensus arboris, pervigilium et fastidium cibi, sunt symptomata altiorem melanoseos gradum concomitantia, augentiaque miserias aegrorum, cum sint

(1) L. c.

maiori ex parte incoercibilia." Si haec vera sunt, nonne temere et inconsulto sit, quid de curatione idem auctor scripsit? „cura radicalis, ut iam dictum est, nonnisi in melanosi topica, organon externum, ad vitam organismi non absolute necessarium, occupante, locum habere potest, et consistit in extirpatione tumoris, una cum magna parte organi affecti." Quamquam auctoritate Travers (1) hanc sententiam suffulcire Savenkus studet, ego tamen in contrariam sententiam descendere debeo, non solum propter febrem illam, quam comitem habere Savenkus adnotavit, sed ob id etiam, quoniam omnes auctores, qualemcunque etiam formam aegritudo exhibeat, partim observationibus, partim sana ratiocinatione demonstrant, ex aliqua sanguinis corruptela morbum provocari. Ex his omnibus satis constat, recentioribus placuisse, morbum potius definire, quam describere, et ab aliquo phaenomeno nomen potius deducere, quam ab eius essentia; et nihil vetat, quin eodem iure, uti Adair (2) petechias sine febre, hunc etiam petechianosin dicere possent.

(1) A Synopsis of the diseases of the eye. London 1820.

(2) Reil *Fieberlehre* Th. II. S. 29.

DE MACULIS NIGRIS, QUAS RECENTIOR AETAS
IN DIVERSIS AFFECTIONIBUS REPERTAS LITERIS
MANDAVIT.

§. 13.

Praeter putridas atque nervosas febres, quibus maculae nigrae familiares sunt, etiam haud raro occurrunt in quibusdam febrium intermittentium differentiis ⁽¹⁾. Neque praeter consuetudinem sunt post sumpta venena; ita etiam in scorbuto ⁽²⁾, in morbo maculoso Werlhofii; sicuti etiam variae cutis efflorescentiae eiusmodi formam exhibent; nec minus quoque in morbo petechiali. Iste morbus et ille haemorrhagicus Werlhofii maximam similitudinem habent cum melanosi, ita ut haec ex utrisque quasi composita videatur. Nam et in morbo petechiali interdum leviter aliquid supra cutim eminere et illam asperam reddere cernitur ⁽³⁾, varia magnitudine et figura. Nec minus peticulae sporadice et sine febre, quas solitarias nominant, vagantur; de quibus plura apud Burserium ⁽⁴⁾. Demum nec pruriunt, nec

⁽¹⁾ Burserii inst. med. T. I. de febr. intermitt.

⁽²⁾ Lind *vom Scharbock*.

⁽³⁾ Octavius Robertus de petechial. febr. an. 1591 public. vagant.

⁽⁴⁾ Ibid. T. II. de morbo petechiali.

dolent, nec ulcerantur, nec in squamas abeunt, quod etiam cum melanosi iis commune est; interdum gangraenulas progignunt, quod in melanosi, teste Laennec, quoque contingit, et id etiam de pustulis, quas epinyctidas vocant, Hippocrates adnotavit. Symptomata, quae post eruptionem petechiarum malignarum exsurgunt, quandoque fere omnia in melanosi occurrunt, ut videndum est ex Savenki descriptione. Obiter tantum et quasi in transcurso commemorari oportet, re vera discrimen esse et non leve inter morbum petechialem et morbum haemorrhagicum Werlhofii, quod tamen hic exponi non licet, ne angustos dissertationis cancellos transgrediar. Brevibus verbis hic tantum adnotare volui, quomodo cum isto morbo melanosis etiam conveniat. Bang medicus Danicus⁽¹⁾ persuasus est, sanguinem in maculis morbi haemorrhagici contentum omnis odoris et saporis esse expertem, id etiam de melanosi auctores referunt; porro haemorrhagici morbi maculas quandoque nigri coloris et omnis doloris expertes esse, quod etiam melanosi familiare esse a nonnullis observatum est. Haec omnia nos facile conducunt ad

(¹) *Med. Praxis Kopenhagen 1791, S. 575.*

MELANOSIS CAUSAM PROXIMAM.

§. 14.

Huiusmodi maculae aut tubercula, ut supra commemoratum, in diversis morbis observata sunt, et symptomatum more incedunt; hinc proxima melanosis causa utilius ad morbum primarium, a quo dependet, refertur. Plurimorum morborum causam proximam autem ignoramus et plerumque in aliqua coniectura ponimus. Cum vero sensuum testimonio et observationum fide de ea aliquid certi tamen stare liceat, medici non inconsulto omnem causam proximam diviserunt in materialem et formalem. Formalis, quae sola a rebus in facto positis repetenda est, in hoc morbo imminuta arteriarum minimarum, interdum cutis, interdum aliorum viscerum, contra sanguinem resistantia esse videtur, quocumque modo orta. Nam et ecchymoses ex melanosis genere segregari quodammodo nequeunt. Materialis causa, quae mere et semper coniecturalis est, dummodo morbus ex causis internis, ut dicunt, ortus sit, in ipso sanguine, quandoque in alio humore quaerenda videtur. In iis humoribus partium, ex quibus constant, discrepantiam imo corruptelam pro re nata multiplicem esse debere, facile liquet. Nonnulli hanc corruptelam

nominarunt, atram bilem, de qua recte monuit Christ. Riegerus ⁽¹⁾ esse nihil aliud, quam sanguinem, a dissipatis mobilioribus partibus crassum, atrum, pinguem, tenacem, terrestrem, immobilem; nonnulli ab aliqua cachexia, acrimonia, putredine et id genus aliis corruptelis derivarunt. Nuperrimi demum scriptores, relictis prioribus opinionibus, a sola vi vitali imminuta omnem et sanguinis et reliquorum humorum corruptelam oriri docent, quae modo ad putredinem, modo ad dyscrasiam scorbuticam pertinere iis visa est.

Quod attinet ad causas occasionales, opinor easdem esse, quas deprehendimus in omnibus morbis cachecticis, et eas facile referri posse ad aegrotantium vitae genus, aetatem, sexum, anni constitutionem et alia, quae omnia exquisitius perquirere, nostrum hic non est.

NUM MELANOSIS RE VERA MORBUS SUI GENERIS
AN POTIUS QUORUNDAM MORBORUM SYMPTOMA
ACCIDENTALE?

§. 15.

Omnis rerum notitia in morbis, vel sensuum ministerio deprehenditur, vel sana ratio-

⁽¹⁾ Hippocratis Coi aphor. notationibus variorum illustrati. Hagae Comitum 1766. ad aphor. 22. Lib. 4.

cinatione demonstratur, quarum altera, quae aegritudinem sistit, abundare oportet rebus perceptis, altera autem, quam ipsum morbum appellant, a rebus perceptis ad id, quod sensibus non patet, adducit. Quaecunque autem in conspectum prodeunt, et aegrotantibus quasi superveniunt, ab antiquissima Hippocratis schola symptomatum nomine designantur ⁽¹⁾. Quibusdam ex his indoles est, primario morbo accedere, et iuxta eius principium apparere. Haec perseverante morbo nunquam recedunt, sed semper sunt significato coniuncta, et ob hanc causam signa sive *σημεία* vocantur ⁽²⁾. Et si unum alterumve ex his malum quasi digito demonstret *τεκμηριον* vocatur. — Symptomata accidentalialia sive *ἐπιγενόμενα* ea vocantur, quae modo adveniunt, modo recedunt, aut aliis symptomatibus superveniunt, dummodo morbus, his praesentibus absentibusque, semper idem maneat. Interdum paulisper, interdum minime agunt in mor-

⁽¹⁾ Omne quidquid praeter naturam accidit animali symptoma est. — Galen de sympt. diff. cap. 1. p. 32.


⁽²⁾ Signum est, quod sub sensum aliquem cadit, et quiddam significat, quod ex ipso profectum videtur, quod aut ante fuerit, aut in ipso negotio, aut post sit consecutum, et tamen indiget testimonii et gravioris confirmationis. Cic. Lib. I. de inventione. Sic medici, pergit idem in Lib. II. de divinat., signa quaedam habent ex venis et ex spiritu aegroti etc.

bum primum, interdum cum ipsa morte accedunt.

§. 16.

Alia ex his ad nostrum scopum pertinent, alia aliunde quaerenda sunt. Pro ratione causarum et morborum primariorum modo melanosis adesse modo abesse, videmus, uti reliqua exanthemata in morbis. Pro eadem rerum ratione etiam vel in ipsis locis nigris sanguis liquatur et dissolvitur; huiusmodi exempli causa sunt plerumque maculae scorbuticae atque illae interdum maculae nigrae, quae aliis morbis putridis ac malignis superveniunt; vel sunt alius generis, imprimis pustulae sive tubercula, et ista nihil aliud quam exiguae inflammationes, facile ad gangraenam tendentia, ut Hippocraticae epinyctidae; interdum aliquid heterogeneum peculiaris, venenatae et incognitae naturae continere videntur, quod a reliquis humoribus ad cutim propulsum est, uti consuetudo fert post sumta venena, aut in quibusdam exanthematicis morbis. Interdum etiam ipse sanguis aut alius humor, prout non purus nec integer est in ipso homine sano, aut a naturali statu deflectit, aut cum aliis humoribus mixtus est, coloribus quoque macularum differat necesse est; hinc a pallido per varios transitus nigrescunt naevi, lentaculae et id genus aliae turpitudines cutis, quae

omnes ad melanosis genus pertinent. Demum cum peticulis quoque summam similitudinem melanosis habere videtur, non solum ratione formae atque coloris, sed etiam magnitudine macularum, propagatione, eruptione, febre et multis aliis quoddam vinculum cognationis cum peticulis incedere videtur. Quidquid igitur multis diversisque multis commune et quasi familiare est, id minime pro genuino et inseparabili symptomate, aut signo characteristico aut morbo sui generis habendum est.



VITAE CURRICULUM.

Ego, Martinus Schier, natus sum die vii. Maii anno MDCCXCVIII. Cassellis, patre Conrado, matre Martha de gente Barchfeld. Primis literarum elementis imbutus sum scholis privatis virorum meritissimorum HOSBACH et STAUBESAND; anno aetatis decimo quarto medico legionario beato MANGOLD traditus et chirurgiae praeceptis institutus sum. Ineunte anno millesimo octingentesimo decimo quarto chirurgi militaris munus suscepi, exercitum bis in Francogalliam secutus eodemque munere usque ad annum MDCCCXVIII. perfunctus sum. Initio huius anni Marburgum me contuli ibique per biennium et semestre his praelectionibus interfui.

Anatomiam Cel. BÜNGER, Physiologiam Cel. HEROLD, Chemiam et Pharmaciam Ill. WURZER, Physicem Cel. GERLING, Botanicem Cel. WENDE-ROTH, Pathologiam generalem Cel. BUSCH sen. Chirurgiam Cel. BUSCH iun: Pathologiam et Therapiam specialem beat: LUCAE, Artem obstetriciam Cel. BUSCH iun: mihi tradiderunt. Clinicis usus sum institutionibus beat. LUCAE et Cel. ULLMANN.

Inde ad legionem reversus, examinibus absolutis ad altiorem gradum promotus sum. Anno MDCCCXXV. Berolinum profectus sum et per anni spatium praelectiones virorum celeberrimorum frequentavi.

Therapia generali et speciali perill. HUFELAND, Therapia mentis morborum Ill. HORN, Aciurgia Ill. GRAEFE, Ophthalmiatrice Cel. JÜNGKEN me erudiverunt, exercitationibus practicis chirurgico clinicis Ill. GRAEFE et RUST, clinicis morborum syphiliticorum Ill. KLUGE me admiserunt.

Tentamine et examine rigoroso rite absolutis, spero fore, ut, dissertatione hac publice defensa, summi utriusque medicinae honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

- I. Quodque Vulnus penetrans pectoris confestim claudendum est.
 - II. Fistula ani incompleta externa non existit.
 - III. Vulnera amputationis per primam intentionem curanda sunt.
 - IV. Infarctus, Haemorrhoides et Arthritis morbi sunt analogi.
 - V. Curam radicalem semper causalem esse oportet.
-

THESES DEFENDENDAE.

- I. Quodque Vultus penetrans pectoris conles-
tim claudendum est.
- II. Fistula aut incompleta externa non existit.
- III. Vultus amputationis per primam intentio-
nem curanda sunt.
- IV. Infarctus, Haemorrhoides et Arteritis morbi
sunt analogi.
- V. Curam radicalem semper causalem esse
oportet.



